

etus egit honestati pietatique conformem, laudando extollere
 queant. Memoriaque ejus temporum consecratâ perennitati,
 sera posteritas ad vitam rectè instituendam & æmulandum de-
 functi exemplum arcanis quibusdam monitis & stimulis agite-
 tur. Cum in monumento tanquam in speculo intueri coram
 & contemplari habeamus, quæ decentia maximè & vitam or-
 nantia imitanda; Quæ turpitudini contra sunt, & vitam deho-
 nestant, fugienda summo perè & detestanda. Quale mollissi-
 mo exstructum Sardanapalo monumentum refert *Strabo lib. 14.*
 Omnes insuper prætereuntes à monumentis tacitè admoneri a-
 pertum est, communem naturæ legem esse, qui cœpère, ali-
 quando desituros esse, ac fata nullum planè ordinem, nec ullum
 agnoscere discrimen. Græcam quoque perpendens vocem e-
 gregiam latinæ cum græca lingua reperiet conspirationem. Quæ
 id, quod latina monumentum, *μνήμα* aut *μνημείον* appellat. U-
 trumque eandem effectum tenus agnoscere originem ex eo patescit,
 quod hoc immediatè à *μνήμη* memoriâ, mediatè à *μνάω* remi-
 nisci facio, aut *μνάομαι* reminiscor, commemoro, suum ade-
 ptum sit nomen. Sed hætenus de primo, sepulchri synonymi-
 co; Restat aliud, quod etiam synonymicam quodammodo cum
 sepulchro habet affinitatem. Non rarò in jure nostro fit men-
 tio *Cenotaphij*, quod naturâ ipsâ & progenie græcum est vocabu-
 lum, & pro diversâ diversimodam descriptione & significatione
 nanciscitur originem. *καινοτάφιον* enim si dixeris, à *καινός* no-
 vus, recens, & *τάφος* vel *τάφην*, quasi novum sepulchrum, deri-
 vari palam est. Secus, si *κοινοτάφιον* scripseris, tunc enim à
κοινόν commune, & *τάφος*, quasi commune sepulchrum, dedu-
 ci constat. Sed in hisce duabus significationibus nullibi, quantum
 mihi quidem constat, in latioribus juris nostri libris usurpatur.
 Aliud itaque obtinet si *κενοτάφιον* cum Florentino dicere malis,
 ita enim à *κενός* vacuus & *τάφος*, quasi inane & vacuum sepul-
 chrum compositum est.

VI. Cæterum utut hæc tria vocabula jam enarrata, facili
 & non rarò confundi possint soleantque negotiò. Accuratio-
 res tamen subtiliori perpendentes æstimatione ea distinxere
 Imperatores & Jcti. Monumentum enim duplicem recipere vi-
 detur significationem, priori generis obtinet vicem, tam sepul-
 chrum

B

chrum